

terre²⁷⁾. Nulli autem dubium est, quin Christus omnium temporalium fuerit dominus, secundum quod ipse dicit Mattheo 28: data est mihi omnis potestas in celo et in terra^{27a)}, et tunc reducitur^{a)} quarta ratio ad oppositum. Sic et videtur esse de^{b)} vicario^{b)}, quia quandocumque^{c)} instituitur aliquis vicarius universalis et^{d)} generalis^{d)} alicuius principis in regno suo et universaliter et sine ulla exceptione, ille habet auctoritatem in omnibus, que sunt subiecta^{e)} tali principi in tali regno; alioquin non esset universaliter vicarius. Set princeps spiritualium puta beatus Petrus fuit institutus vicarius a Christo in hoc mundo universaliter et sine ulla exceptione, ut patet Mattheo 16²⁸⁾; ergo ipse habet plenitudinem potestatis non^{f)} solum^{f)} in spiritualibus, set etiam in temporalibus.

Dicunt quidam, quod principatus temporalium multum ignobilitatur, si alicui in temporalibus^{g)} subiciatur; et ideo cum^{h)} a principatu^{h)} fidei catholice non fuerit status mundi vilificatus, non videtur quod rationabiliter princeps mundialis fueritⁱ⁾ principi^{k)} spiritualium^{k)} subiugatus sive^{k)} subordinatus^{k)}. Istud autem dictum stare non potest, quia eius^{k)} oppositum est necessarium, quod scilicet tunc principatus temporalium fuit maxime nobilitatus, quando fuit principatui^{l)} spiritualium subiugatus sive subordinatus, quia secundum beatum Augustinum super Gen. ad literam^{m)} melius est unumquodqueⁿ⁾ inferius in eo, quod coniungitur suo superiori, quam^{o)} secundum se ipsum aut secundum quod principatur suis^{p)} inferioribus, sicut homo melior est in quantum connectitur et^{q)} coniungitur^{q)} ultimo fini per actum beatificum, quam in quantum principatur brutis per excellentiam rationis. Et ita principatus temporalis melior est, in quantum connectitur spirituali tamquam fini, quam in quantum prefertur suis^{r)} inferioribus.

Quod autem principatus temporalium sit melior, si est spiritualibus subiectus, quam si ponatur sui gratia tantum, declaratur primo in

a) ducitur P 2. b) so ist offenbar zu lesen; die Stelle ist in beiden Hss. verderbt und die dort verwendeten Kürzungen sind nicht mit Sicherheit aufzulösen. Lapparents Lesung determinatio ist jedenfalls paläographisch und sachlich unmöglich. c) quandoque P 2. d) fehlt P 2. e) subiecti P 1. f) fehlt P 2. g) spiritualibus P 1. h) statt cum a prin.: a temporalibus P 2. i) fuit P 2. k) fehlt P 2. l) principi P 1. m) li. P 2. n) unumquoque P 1. o) quod P 2. p) fehlt P 2. q) fehlt P 2. r) finis P 2.

²⁷⁾ Wörtlich findet sich diese Bezeichnung nicht in der Vulgata, wohl aber dominus celi et terre, jedoch in der Anwendung auf Gottvater Matth. 11, 25 und Luc. 10, 21; vgl. auch Act. 17, 24.

^{27a)} Matth. 28, 18.

²⁸⁾ Matth. 16, 18 ff.